



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118448

§. 49. Galli prope Garilianum a Consalvo cæsi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67025)

§. XLIX.

Sæcul. XV.
A.C 1503.

*Galli prope Garilianum a Con-
salvo cæsi.*

Interea Galli subigendo Neapolis Regno totis viribus incumbabant; illud enim regnum nuperis induciarum legibus haud comprehendebatur, quare cum Trimolius ex gravi, diuturnoque morbo Mediolani decumberet, Marchio Mantuanus illius vices agere jussus est: hic ergo copias suas Garilianum flumen, quod prisca Lirin nuncupabant, trajicere jussit, Consalvo necquidquam transitum prohibente, qui tamen, postquam non nisi quinque Gallorum millia fluvium superassent, hostem aggressus est. Ingens erat utrinque dimicantium pertinacia, primi tamen pedem referebant Galli, eorum quam plurimis, qua cæsis, qua flumine submersis. In secretæ cum Hispanis conjurationis suspicionem adducebatur Marchio Mantuanus, ejusque prodicione Gallos flumen trajicere jussos divulgatum: unde Marchio tantam calumniam vehementer indignatus, renunciatum exercitus imperio, ad terras suas sese recepit: Galli vero haud expectato Regis sui mandato, Saluciarum Marchioni, qui obeunte Nemosio Duce Pro-Rex Neapolis salutatus est, belli administrandi sum-

Marian. lib.

28. n. 28.

Sabellic. Hist.

11. lib. 2.

Sæcul. XVI. summam commiserunt, inde vero inter Bel-
 A. C. 1503. liduces gravis exorta est animorum dissen-
 sio, quam Consalvus in rem suam ver-
 tens, peropportunum occupavit locum,
 quem Galli Neapolin ituri, pertransire
 omnino compellebantur; ast hyemis ri-
 gore acrius impendente, Saluciarum
 Marchio copias promovere inconsultum
 judicabat, nihilominus eorum, quibus
 commeatum subministrare incumberebat,
 culpa ad tantas redigebatur angustias,
 ut annona jam tertio die ferme omni con-
 sumpta, cum alia nullo pacto advehi pos-
 set, exercitum aut mors aut signorum
 defectio potissimam partem imminuit.
 Equidem haud diuturna erat hæc Gal-
 lorum calamitas, nihilominus jamjam
 exercitus erat numero, & animo fractus,
 nec suppetiarum spes affulserat: ex ad-
 verso Consalvi copiarum indies auctæ jam
 viribus pares erant, ut Gallos ad præ-
 lium provocarent: igitur die vigesima
 tertia Decembris Consalvus nonnisi bis
 mille peditum, ac quadringentos Ger-
 manos secum ducens, Garilianum flu-
 vium trajicit, & ceteros Gallorum muni-
 mentum, pontemque aggredi jussit. Ve-
 rum hi, cum Hispanorum impetus susti-
 nendo ferme impares essent, terga ho-
 stibus vertebant, quos Consalvus strenue
 infecutus, totum Gallorum exercitum
 pro-

profligavit, atque exiguo temporis spatio penitus fudit.

Sæcul. XVI.
A. C. 1504.

§. L.

Cajeta a Consalvo capta.

Consalvus hac victoria inclytus, cum Galli necdum ob acceptam cladem linquentem animum revocassent, die prima Januarii victricia arma Cajetam versus protendit, moxque exteriora urbis propugnacula occupavit, nemine obsistere auso; quoniam vero urbis mœnia tormentis olim quassata, cum primo urbem obsidisset, necdum a Gallis refecta essent, Consalvus ruinæ hujus subsidio adjutus, primo Orlandum montem cinxit, ac selectioris militiæ Hispanis irruptionem facientibus, urbem expugnavit. Galli metu pene exanimati ægre admodum, turmatimque in urbem sese recipiendi spacium habebant; mox enim Consalvus Saluciarum Marchionem ad deditionem provocavit, qui eodem adhuc die Victoris mandato paruit, ac nocte sequenti tres omnino Deputatos, nempe Divionensem Prætozem, Sancolumbum, & Theodorum Trivultium ad Consalvum ablegavit, ut hi deditionis pacta instruerent, ubi aliquamdiu ultro citroque disceptatum est; Consalvus enim quosdam Neapolitanos captivos, præcipue Bitunti Marchionem,

Mat-